

B. 448.





In hoc volumine 24. programatum de Norimbergenſibus quibusdam & de variis inclutis academiis rebusque tam ſacris, quam profanis, deest program. 1. 2. &.



20

LECTOREM BENEVOLVM  
AD  
ORATIONEM PVBLICAM  
DE  
STATV INCLVTAE REIPVBLICAE  
NORIMBERGENSIS  
SVB INITIVM REGIMINIS GLORIOSISSIMI RO-  
MANORVM IMPERATORIS  
CAROLI IIII  
AVDIENDAM  
INVITAT  
ET HAC PROLVSIONE  
VITAM B. HIERONYMI EBNERI  
DVVMVIRI QVONDAM REIPVBLICAE NORIMBERG. PRIMARI  
ET IMMORTALITER MERITI  
BREVITER EXPONIT  
CHRISTIANVS GOTLIB. SCHVVARZIVS  
COMES PALAT. CAES. ET PRGF. PVBL.

---

ALTORFII NORICORVM  
LITERIS IOHANNIS ADAMI HESSELII,  
(N. XXIII)





KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE

ORATIONEM PUBLICAM  
DE  
STATU INCLYTAE REIPUBLICAE  
NORIMBERGENSIS  
SUB INITIUM REGIMINIS GLORIOSISSIMI RO-  
MANORVM IMPERATORIS  
CAROLI III  
A VIDIENDAM  
IN  
ET HAC EVOLVSIONE  
VITAM R. HIERONYMI EBNERI  
DVMVRI QVONIAM REIPUBLICAE NORIMBERG. ERMANI  
ET IMMORTALITER MERITI  
REMITTA ERONIT  
CHRISTIANVS GOTTFR. SCHWARZIVS  
COMES PALAT. CAES. ET PR. A. P. B. L.

ALPHONS NORICORVM  
LITERIS PONTIFICIS APOST. BENEDICTI  
(M. XVII)





Q. D. B. V.



VM NORIMBERGENSIVM de re sacra et literaria insigniter meritorum memoriam identidem recolare instituerim; opportuna occasione mihi nunc commemorandus succurrit HIERONYMVS EBNERVS, primarius quondam Patriae Duumuir, isque immortalibus meritis etiam post cineres uenerabilis. Quidni enim tanti Viri memoriam in hoc sacro Mnemosynes templo resuscitemus, nobisque charam esse testemur, cuius uirtutum fructus atque gloria ad seram posteritatem redundat? Scilicet, quemadmodum NORIMBERGA, quoad eius res ex antiquissimis annalibus rerumque gestarum monumentis repeti possunt, omni tempore sese extulit mirifico magnorum ingeniorum praestantissimorumque uirorum prouentu: ita DEVS BENIGNISSIMVS illa ipsa aetate, qua singularis rerum sacrarum publicarumque instabat conuersio, huic inclytæ Reipublicæ tam pios, tamque sapientes, magnanimosque, ciuitatis moderatores, aliosque uiros uirtute atque eruditione egregios, indulserat, qui non tantum patriæ suæ, sed et uniuersæ Germaniæ, essent ornamento. Hi, uti honestissima uirtutum meritorumque aemulatione inter se quasi certarunt; ita sigillatim HIERONYMI huius EBNERI

eximias animi dotes cum dotibus CASPARIS NVZELII, qui  
 iisdem temporibus NORIMBERGAE honore et auctoritate  
 florebat quam maxime, eleganter comparauit uir quon-  
 dam eruditissimus, magnorumque ingeniorum existima-  
 tor aequissimus, IOACHIMVS CAMERARIVS. *Norimbergae,*  
 inquit, 1) tum principes Senatus erant, HIERONYMVS EBNERVS,  
 et CASPAR NVZELIVS. In NVZELIO uigebat animus al-  
 tus atque magnus, et ita prudens, ut neminem audierim, cum  
 sermonibus interfuerim de eo plurimorum, qui in isto genere  
 ciuilibus rationis ac facultatis quemquam praestantiorum illo co-  
 gnouisse diceret. Quae secum ipso deliberando e republica esse  
 statuisset, ab iis nullius odio, aut amore, abduci se patiebatur.  
 Quod si non obtineret aliquid, et uinceretur aduersariorum nu-  
 mero; tum ipse consueuerat dissimulare studium et propositum  
 suum, ac facere, quod omnes cuiuscunq[ue] artis non uulgariter  
 periti solent, ut, permanente eadem de sui operis absolute  
 sententia, non facile mutent efficiendi illud institutum modum,  
 neque desistant ab experiendi conatu. Itaque cum iam NVZE-  
 LIVS aliquid abiectum, aut reliquum, existimaretur; com-  
 peri, alio tempore occasionem cum nactum ex improviso de eo-  
 dem referendo perfecisse, ut approbaretur discernendo. In  
 EBNERO autem ingenii maior erat mansuetudo, et placidior  
 quietiorque mentis habitus, innocentia summa, et bonae conscien-  
 tia custodia: ut horum duorum quasi copulationem ciuitati huic  
 ad felicem statum DEVS largitus esse uideri possit; temperamen-  
 to quodam optimarum quidem naturarum; sed quarum tamen  
 utraque aliquid haberet alterius dissimile, et suum; unde ad-  
 ministratio Respublicae eo magis fortunaretur. 2)

Hoc

1) Ioach. Camerarius, in uita Philippi Melanchthonis, pag. 103.

2) Huc etiam pertinet Philippi Melanchthonis epistola A. 1528 ad hos  
 duos uiros perscripta, pag. 42, editionis Elzeuirianae Epistolarum Me-  
 lanchthonis: Amplissimis Viris D. Hieronymo Ebnero, et Caspary Nu-  
 zelio, Moderatoribus R. P. Noriberg. Dominis suis s. d. Cum innu-



Hoc fuit graue *Camerarii* et uerum de tam egregio SENATORVM NORIMBERGENSIVM pari iudicium, ex quo iam in antecessum facile patet, qualis quantusque uir fuerit HIERONYMVS EBNERVS, de quo dicere ingressus sum. Hic uero auspicata huius lucis usura frui coeperat, anno saeculi decimi quinti septuagesimo septimo, die V Ianuarii. 3) Merito permagni fit apud omnes gentes natalium dignitas, quae per plura saecula posteris praelucet, ac facilem expeditamque uiam ad ingentia uitae commoda et amplissimos honores patefacit. Sicuti enim in arboribus plurimum refert, qua terra, ac quo surculo, creuerint; ita et ingentem uim habet communicatio generis et sanguinis. Quamobrem iam nascendo felix fortunatusque fuit HIERONYMVS; quod in nobilissima Imperii Vrbe lucem primam hausit; et quod ex genere uetusto et gentilitiis imaginibus illustri, ac sigillatim ex Parentibus spectatissimae uirtutis atque dignitatis, prognatus est; quod praeterea mox in praestantissima uirtutum et doctrinae exempla incidit,

A 3

atque

*mera extent in me beneficia uestra; saepe ueveor, ne uidear impudens, dum nullum finem facio subinde alia flagitandi. Sed quoniam existimo, Vos, pro excellenti sapientia, meum consilium perspicere; minus timide ad Vos scribo, quam meae personae conueniat. Videtis enim, me non de meis, sed de studiosorum adolescentium commodis, apud Vos agere, qui hoc tempore quantis difficultatibus consicentur, non ignoratis. Et quia mihi uestra sapientia uestrumque de omnibus bonis literis atque artibus iudicium notum est, non inuitus studiorum ac literarum causas ad Vos defero. Non possunt honestae artes sine praesidio eorum, qui praesunt, conseruari. Sed his nemo liberalius optulatur hoc tempore, quam Vos, etc.*

3) Hoc tempus natale designat *Iob. Gualterius* (sive *Ianus Gruterus*), in *Chronico Chronico Eccles. Libr. II, pag. 1109. Hieronymus Ebnerus*, inquit, *duumuir Norimbergae, literarum fautor, natus 5 Ianuarii, A. 1477; obiit 26 Aug. A. 1532, aetatis 58. Adde Paulum Eberum in Calendario historico Virorum illustrium, pag. 54, et Andream Calagium, in Natalibus illustrium Virorum, pag. 6.*

atque a teneris annis literarum bonarumque artium amorem induit animo, egregiaque indole demonstrata, omnibus facile miram sui expectationem concitauit. Patre E coluit MATTHAEVUM EBNERVM, qui NORIMBERGAE dignitatem senatoriam multis magnisque meritis ornauit. Mater ei fuit MARGARETA SCHVRSTABIA, Matrōna tam antiquae propitiae, quam animi sui, ornamentis eximia, tamque nobili pignore dignissima. Iam, si in paternae maternaeque stirpis laudes digredi uelim; quot eximia Patriae lumina, quot maiores opibus amplisque dignitatibus florentes, et rerum domi forisque gestarum gloria per multorum saeculorum cursum illustres, recenseri deberent! Nonne enim, ut anteriora praeteream tempora, iam in certissimis saeculi, post instauratam generis humani salutem, decimi tertii documentis, commemorantur ex hac Gente uiri insignis existimationis et dignitatis: SIGFRIDVS, 4)

ALBER-

4) Instituti mei ratio mihi haud permittit, ut iam ex antiquis monumentis aliorum EBNERORVM nomina excitem, quam qui iam ex euulgatis excussisque documentis innotuerunt; cum illustris Familia omnino adhuc multo plura, atque antiquiora, seruet in literis MSS. Ita satis est, ad ostendam inclytae Gentis Ebnerianae uetustatem, uel unam appellare chartam, A. 1308, die Lunae ante diem Margaretae in Iudicio datam; ex qua patet, tunc BIGENOT EBNERVM, filium CONRADI EBNERI, possedisse certa *Feuda*, ab Auo cognomine, BIGENOT EBNERO dicto, qui Miles i. e. Ritter, ibi scribitur, hereditario iure ad se transmissa. Vnde facile intelligas, hunc seniores *Bigenotum*, Auum nempe, iam sub finem saeculi duodecimi, aut certe sub initium decimi tertii, uixisse; itemque iam tum equestrem dignitatem cum hac Familia coniunctam fuisse. Sed et in *Dom. Io. Henr. de Falckenstein Codice diplomatico Antiquitatum Nordgauensium*, pag. 55, extat Charta, in qua *Waltherus, Pincerna* dicitur *de Bratsfelden*, tradidit *Curvado Forchtelino*, et SIFRIDO EBNARIO, bona sua, duos mansus et dimidium, et molendinum, in *Kuchen sita*, de Anno 1265: *Nouerint uniuersi presentis instrumenti seriem inspecturi, quod ego Waltherus, pincerna, dictus de Bratsfelden, per manum Elisabeth, mee coniugis, consensum eius et bonam uoluntatem, bona mea, uidelicet duos mansus et dimidium, et molendinum, in Kuchen sita, Curvado Forchtelino et SIFRIDO EBNARIO, ciuibus in Nurenberc, dedi in re propria-*

tatis, cum omnibus suis attinenciis perpetuo libere possidenda. Cuius rei testes sunt, Symon de Richenegge. Henricus, dictus Turrigel. Viricus Crumpfit. Walderus Togeler. Hermannus de Rot. Hermannus dictus Gleselin, et alii quamplures. In testimonium etiam premissorum presens sibi scriptum sigilli mei robore communitum donavi. Datum anno Dni, M. CC. LXV. Quarto Kaln. Iuni.

5) In literis Friderici III, Burggraui Noriberg. in quibus tradita est monasterio Hailsbrunensi curia in Oberndorff, cum duabus filiis: — Testes sunt, Marquardus de Wilhelmsdorf, Winbavus de Rorbach, Arnoldus de Sekendorff, Henricus de Maiental, Henricus de Hildebach, Bruno de Schonenberg, Cunradus de Kurenburg, Wolkoldus de Nurenberc, milites. Marquardus Phinzinc, Cunradus Stromaier, ALBERTVS EBERNER, Fridericus Yngelster, Heymannus Steiner, ciues Nurenbergenes, et quamplures alii fide digni. Acta sunt haec anno Dni. M. CC. LXVIII. iuxta pontem Wikershoven, sexto ydus Septembris, indictione duodecima. Vide Codicem diplomat. Antiquit. Nordgauenf. pag. 58.

6) In literis de aedibus Chumradi Buttugleri, Pfinzingio uenditis: — SIFRIDVS et EBERHARDVS, dicti EBENER, Wernberus, dictus Nuzel, Gotfridus Mumler, Marquardus Zichner, et ceteri ciues Nurenbergenes, quibus Dominus Chumradus, Buttuglerus, dictus de Kurenberch, in debitis quibusdam fuit obligatus, in figura iudicii comparuerunt, probantes dimidiam partem curie predicti C. Buttugleri inferiorem, in cemeterio S. Egidii sitam, ex quadam pecuniae quantitate ipsorum pignus existere, etc. Datum A. M. CC. LXXXII. XV. Kal. Iulii. Vide Disputationem de Butigulariis, pag. 55.

In Codice diplomatico Antiquit. Nordgauenf. pag. 100, charta edita est, secundum quam Eberhardus Ebnerus, Norimbergensis, Monasterio S. Clarae Noribergae Ius patronatus Ecclesiae parochialis in Regelspach tradidit; quam traditionem Magenoldus, Episcopus Herbipolensis, A. 129 confirmavit. Ex qua charta sequentia duntaxat uerba afferre uisum est: — Parochialem ecclesiam in Regelspach nostrae dioecesis cum omnibus iuribus, libertatibus et pertinenciis suis, in presentiarum uacantem, cuius ius patronatus ad discretum uirum, EBERHARDVM, dictum EBNER, ciuem Nurenbergensem, ab antiquo spectabat uobis de consensu et uoluntate expressa eiusdem ciuis, nec non de conuentione et consensu nostri Capituli pleno iure proprietatis et possessionis donamus ac concedimus, etc. Ex huiusmodi documentis, et sigillatim ex his uerbis, Dom. de Falckenstein,

CYNRADVS, 7) et alii longe plures ? Hoc loco tamen duo isti fratres germani, EBERHARDVS scilicet et FRIDERICVS, EBNERI, sigillatim

in annotationibus, bene animaduertit, et inde colligit uetustam nobilitatem Familiae Ebnerianae, maxime ex eo, quod iure patronatus, secundum ipsa huius documenti uerba, ab antiquo gauisa est; quod tunc temporis nemini, nisi illibatae nobilitatis dignitate coruscanti facile competierit. Iste uero Eberhardus Ebnerus, ante, quam se inuulisset in gregem Franciscanorum, in matrimonio uixerat. In eodem Codice diplom. antiquit. Nordg. pag. 109. extant literae feudales Gottfridi de Haydeck, quibus SIGFRIDO EBNERO Vogtejam, siue iurisdictionem in Welckendorf, A. 1300. beneficiaria lege concessit: Ich Gotfride von Haidecke vergibe an disem Brief, daz ich mit gutem Willen miner elichen Wirtinne, wrowen Kunegunden, und mit gesampter hant, han verleben ze rechtem Lehen dem beschaiden Manne, hern SIFRIT dem EBNER, Burger ze Nurenberch, und sinen Erben, die Vogtey ze Welckendorf uber virdhalb habe, die sein sint ze haben ewichlich mit allem nutze von mir und von minen erben. fürbaz, darumbe so gibe ich jm disen Brief ze einem Vrbvnde vnd ze einer Gezeckwisse versigelt vnd geuest mit minem Insigel und mit miner elichen Wirtbinne Wrowen Kvingunt Insigel der beider daran hangent. des sint zezeuge, her Cbunrat der alt Probst von Haideck, her Bertbolt Phinzinc, der alt Schultbaiz, her EBERHART EBNER, her Herdegen der Holtzschuber, und ander erber leut genuge. Ditz ist geschehen und ist auch diser brief gegeben ze Nurenberch nach Christes geburte in dem dreizebenten hundertsten Jar. der heiligen Einlef tausent Maide tage.

7) Huc pertinent literae ALBERTI I, Imperatoris, quarum mentio fit in Oratione VValdströmmeriana, de curiis Regiis comitisque Norimbergae celebratis, pag. 62: Nos, ALBERTVS, Dei Gratia Romanorum Rex semper Augustus, ad uniuersorum noticiam volumus peruenire, quod nos uiris prouidis, CYNRADO EBNERIO, et Gotz Schoppario, Ciuibus Nurmbergensibus dilectis, creditoribus nostris, pro expensis, quas ibidem hac uice contraximus, in mille ducentis uiginti octo libris, decem solidis, et octo Hallensibus, remanemus et existimus obligati. Quam pecuniam usque ad festum Beati Iobannis Baptistae eisdem persoluere promittimus, et tenemur, constituentibus sibi fideiussores super eo, Honor: uirum Magistrum Nicol. Prothonstarium nostrum, et strenuos uiros, Iacobum de Wrouenueld, Magistrum Curie nostre. Pilgrinum d'Wagenberg dispensatorem nostrum. Hartman. Clericum de Baden. Qui si dicti Creditores nostri intra duos menses a data presencium assecurati non fuerint,

figillatim commemorandi sunt, qui in *Franciscanorum discalceatorum sodalitate* uitam monasticam sunt professi: quorum alter totius conuentus fuit *Confessor*, et postea *Praefectus*; alter *Laicus* permansit. Hi, uti erga ordinem Franciscanorum, quibus *Waldstromeri* Norimbergae condiderant domicilium, satis liberales fuere; ita praecipue ad monasterium S. Clarae ibi extruendum, fundum proprium, aliaque praedia, aliunde redempta, dederunt. Nimirum, quod ad coenobium S. Clarae attinet, id omnium, quae Norimberga intra moenia sua habuit monasteria, spaciosissimum et amplissimum, anno dco cclxxviii, sub comitia a RVDOLPHO, gloriosissimae memoriae Imperatore, Norimbergae celebrata, condi coeptum est. Translatæ uero in Urbem Virgines, quae foris prius, ad nemus Norimbergense, in diuae Mariae Magdalenae perueteri sacello degerant, diui Augustini regula obstrictae, deinceps ordinem S. Clarae publice approbatum sequebantur. 8) Sicuti igitur *duo Fratres Ebneri*, modo laudati, ad extruendum multisque redditibus et praediis dotandum hoc monasterium, non parum contulerant: ita, pro more istorum temporum, nec paucae postea Virgines, ex generosissima EBNERORVM profapia prognatae, eidem monasterio nomina sua dederunt, et partim praefuerunt; e quibus nomina-

B

tim

*per Tristrannum de Theloneo nostro in Hamerstein, de pecunia memorata, per fidem prestam nomine iuramenti apud Nurenberg, in personis propriis octo dierum monitione praemissa se ad obstagium praesentabunt, nec abinde recedent, quousque eisdem nostris Creditoribus uel heredibus eorum prenotata pecunia integraliter fuit persoluta. In cuius rei testimonium nostrum et fideiussorum praedictorum Sigilla presentibus sunt appensa. Dat. in Nurenberg. X Kal. Septembr. Anno Domini MCCC quinto, regni uero nostri anno octauo.*

8.) Vid. *Bruschium*, in *Chronologia Monasteriorum Germaniae praecipuorum*, pag. 390, seqq. Et *Wagensteilium*, de *Ciuitate Norimbergensi*, pag. 88.

tim GVITA EBNERIA, anno dō ccc xxxiiii, in locum *Irmelgardis Monetariae* surrogata, partibus *Abbatissae*, siue Antistitici, magna cum laude perfuncta est; quae uero deinde Bambergam euocata, monasterium eiusdem ordinis, a *Zollneris* tunc recens conditum, primae *Abbatissae* auctoritate prudentissime rexit, ibidemque mortalitatem finiuit.

Adeo inelyta Gens EBNERORVM, egregiis utriusque sexus ornamentis, longissimis abhinc temporibus effloruit, ac non solum Norimbergae illis Familiis nobilibus, e quibus ad illustrem Rempublicam gubernandam eliguntur Senatores, iam olim annumerata est; sed et amplissimae dignitatis necessitudinibus, per fortunata connubiorum foedera, inclaruit, et extra patriam quoque uirtutum suarum lumen diffudit, atque in ipsorum Principum Regumque aulis inentidem munia honoresque obtinuit, et ea, quae in uetustam nobilitatem conueniunt, ornamenta suis sibi meritis comparauit. Sic uel sola *Tabella*, 9)

his

9) Haec *Tabella* necdum satis quidem est completa; propterea, quod stemmata quarundam illustrium familiarum alienigenarum, quae tum primum in ciuitatem receptae fuere, quibuscum EBNERI identidem necessitudinem contraxere, nondum ex omni parte nobis innotuere; quarum uero integriorem seriem fortasse dies et tempus adhuc magis patefacient; unde in eadem *Tabula* spatium est relictum, ut deficientium nomina aliquando suppleri possint. Interim in hoc *Stemmate* deducendo, quod ad indigenas attinet, documentis indubiis; quod attinet ad alios, *Stemmatibus* genealogicis iam euulgatis, usi sumus; particulam uero *Loeffelbolzianae prosapiae* ex *Tabula Programmatiss* nostri xx huc transtulimus. In Familiis *Oesferreicherorum*, et *Schulerorum* (quarum altera ut plurimum in Franconia se tenuit,) nondum altius ascendere nobis datum fuit; licet utraque ista Familia iam tum honoribus clypei et glaeae, tanquam uerae nobilitatis insignibus, inclaruisset. Sicuti autem in hac *Tabula* primus ex triginta duobus HIERONYMI EBNERI Maioribus designetur ALBERTVS EBNERVS; ita huius ALBERTI Pater fuit EBERHARDVS, Miles, et Norimbergensis Senator, qui, secundum indicium clypei funebris, obiit anno dō ccc xxi, Mater GRAEUIA de *Wolfsberg*. Auus itidem EBERHARDVS dictus, Senator Norimbergensis, et *Scabitus* iudicii Caesarei prouincialis; cuius mentio paullo ante, sub *nota 6*, facta est: Auius, natalibus TEVFELIA, Proauus SIGFRIDVS, Senator Norimbergensis, qui

his chartis adiecta, testis esse potest, quae continua fuerit series Maiorum HIERONYMI nostri EBNERI.

Verum, uix opus est ei Maiorum gloria, quem uirtutis praerogatiua supra omnia nomina et imagines extulit. Quemadmodum autem gemma non facile consequitur pretium, quod habet in se, nisi artificis manu exoliatur; ita et Parentes optimi recte statuerunt, indolem Filii sui, quantumuis praestantissimam, haud satis posse enitescere, et uim insitam egerere, nisi recto prudentique cultu corroboraretur. Quo consilio, cum domestica disciplina rite praeparatus esset EBNERVS, ut primum per aetatem licuit, dimissus est in Ingolstadiensem Academiam, ubi tunc, praeter alios uiros doctissimos, iuriumque scientissimos, tanquam luna inter sidera, maxime splendebat *Sixtus Sucherus*. Hunc potissimum affectabatur EBNERVS, huiusque dexterrima usus institutione, in contubernio quidem *Antonii Kressii*, 10) qui postea Praepositus Ecclesiae Laurentianae Norimbergensium euasit, tam feliciter in literis moribusque suauissimis profecit, ut inter aequales suos non excelleret modo, sed et alios industriae suae studiique exemplo concitaret.

B 2

Post-

---

uixit anno 1265; prout supra, not. 4, ostendimus; Proauia, ortu VORCHTELIA. Vides ergo, antiquitatem inclytac huius Gentis per saecula quinque, aut sex, protendi.

10) Testatur haec *Christophorus Scheurlius*, illo tempore primarius meritissimusque Reipublicae Norimbergensis Consiliarius, et singulare patriae ornamentum, in *uita Antonii Kressii*, inter *Bilibaldi Pirkeheimeri opera*, pag. 351. Missus deinde, inquit, ANTONIVS KRESSIVS Ingolstadtum, humanitatis et iuris coepit esse candidatus, usus praecceptore SIXTO SVCHERO, Iureconsulto, qui tum magna celebritate, ac frequenti auditorio, publico stipendio profitebatur. Hic, prae ceteris condiscipulis, HIERONYMI EBNERI moribus, probitate et eruditione, uehementer oblectatus, illius se familiaritati, immo etiam contubernio, dulciter insinuauit. - - Vixit itaque cum illo, usque in mortem, fraterne, amice, sinceriter, coniunctissimeque. etc.

Postquam studiorum Academicorum spatia consecerat, eamque sibi comparauerat eruditionem, quae natalium dignitatem mirifice ornaret, iter in peregrinas terras, et nominatim in Galliam, suscepit, ut et ibi colligeret, quod uirum egregium, futurumque consilii publici auctorem, instrueret. Quidquid enim pulchrum cognitu atque utile esset apud externos, cupide indagauit, obseruauitque accurate. Sed et, cum inde aliquandiu spectaret aulam Gloriosissimi Imperatoris, MAXIMILIANI I, talem se gessit, ut ingenii sui morisque suauitate multorum sibi conciliaret beneuolentiam, nec solum sui similibus, sed principibus etiam uiris, charus gratusque haberetur. Sequebatur etiam *Imperatorem Augustissimum*, ad comitia Augustana, et inde Nordlingam, proficiscentem. Multo autem felicissimus erat, cum uirtuti eius testis commendatorque contingeret ipse IMPERATOR SACRATISSIMVS, qui, dum HIERONYMVM pariter, atque eius fratrem, ANTONIUM EBNERVM, in eunte saeculo decimo sexto, d. x Septembr. dato Diplomate, inter aulae Caesareae administrantes ac domesticos recepit, honorificum de iis tulit iudicium.

Cum uero, sub idem tempus, AVGVSTISSIMVS CAESAR Norimbergam abiret, ut ibi sacramentum solenne ipsi a Senatu ciuibusque praestaretur; illuc etiam, in comitatu aulico, secesserunt duo Fratres *Ebneri*; e quibus *Antonius* porro permansit in officio aulico; *Hieronymus* autem, suafu consanguineorum suorum, aliorumque amicorum, inductus, tunc decreuit potissimum Patriae honori commodisque se consecrare. Quamobrem ex aulica functione clementissime dimissus, ubi de rebus domesticis constituendis cogitauit, anno clo lci, ii Augusti, auspicato domum duxit HELENAM, ex *Sigismundo Furero*, et *Anna Tucheria*, anno clo cccc lxxxiii prognatam, matronam omnium uirtutum ornamentis nobilissimam, et posthaec fecundam



cundam duodecim liberorum matrem; cum qua concordissime suauissimeque uixit, quamque sibi deinde reliquit superstitem, cum ea demum anno cIoIoxxxviii e uita discessit. Id enim laudabile institutum tenet in clyta Respublica Norica, ut non satis utiles publico putet, nisi qui domui suae, quae et ipsa imaginem quandam reipublicae gerit, antea fuerint frugi.

Cum uero sic in dies maiorem sui expectationem concitaret, omniumque oculos et ora in se conuerteret; anno cIoIoii Senatui numerosiori adscriptus, et altero anno post, cum omnium bonorum exultatione et applausu, in Senatum interiorem, ac sigillatim in ordinem consulum iuniorum, cooptatus est; in quo, duce uirtute sua, et comite fortuna, per omnes iuit senatoriae dignitatis gradus. Tunc uero, anno cIoIoiii, simul eius curae commissum est monasterium *Vallis Angelorum*; 11) cui anno cIocccxxx, *Abbatissae* titulo praefuerat CHRISTINA, iam ab anno aetatis suae duodecimo isti ordini adscripta, quae ex eadem illustri EBNERORVM profapia orta, uti in uita singulari pietate et eruditione, ita post mortem miraculis, ut traditur, inclaruit, promeruitque, ut, pro istorum temporum ratione, tanquam Beata publice priuatimque coleretur. Illius uero praefecturae onere HIERONYMVS deinceps, anno cIoIo xviii, cum grauiorum negotiorum expeditionibus distringeretur, alleuatus est.

Praeterea, anno cIoIo vii, etiam curae ponderum et mensurarum, itemque *librorum Salicorum* renouandorum

B 3

atque

11) D. Christoph. Scheurlius, *de statu, seu regimine Reip. Nor. in Epistola ad Iohannem de Staupiz*, Familiae Augustinianae Vicarium Generalem: *Singulis, inquit, Ecclesiis et Monasteriis, tam in Vrbe, quam extra Urbem, praeficiuntur Senatores et Patroni. etc. Nostro HIER. EBNERO commissum diua Virgo, commissum Monasterium Vallis Angelorum, ubi CHRISTINA EBNERIN, ex maioribus suis miraculis claret, et Beata colitur.*

atque in ordinem redigendorum, in quos fundationes, et annui redditus, templorum sacellorumque, referri confueuerant, admouebatur. Quo magis uero eius prudentia et dexteritas iam tum spectata erat; eo frequentius ad grauiam et impedita negotia in solennibus Principum ciuitatumque Imperii conuentibus conficienda ablegabatur. Iam illis temporibus non leues gliscebant, quae passim innotuere, controuersiae, inter Serenissimos MARCHIONES BRANDENBURGICOS, tanquam *Burggrauios Norimbergenses*, et inclytam *Rempublicam Norimbergensem*; quamuis in iis sedandis iam diu ante celebris ille *Iohannes Capistranus*, Italus, operam collocasset. Cum igitur Senatus Norimbergensis, anno cIo lOiiii, cuiusdam malefici hominis, ob prodicionis crimen capite plexi, et in frustra dissecti, membra, in quatuor uis regijs, et quidem uersus quatuor mundi plagas, in locis ad octauam partem milliaria ab Vrbe remotis, suspensum iussisset; 12) FRIDERICVS, Marchio, hanc causam, una cum aliis controuersijs, A. cIo lO vi detulit ad Socios foederis Sueuici, rogans, ut Norimbergenses ad euertendos cippos et stipites damnarentur, aut, si hoc impetrari non posset, ut Socii, ex lege foederis, sibi ius suum uindicaturae opem ferrent. Tunc Norimbergenses multis quidem rationibus sua iura defendenda suscipiebant, et HIERONYMVS EBNERVS, cui haec partes publica auctoritate demandatae erant, eo ipso anno cIo lO vi, d. xxxiii Decembr. per sexaginta nouem testes productos demonstrabat, Senatum Norimbergensem illis ipsis in locis, ubi cippi et stipites extructi erant, iam antiquitus criminalem iurisdictionem exercuisse. Cum uero praetense iure

12) Vide *Nürnbergische Freisch-Acta*, A. 1540, d. 15, Octobr. producta; item *Compendium harum controuersiarum*, quod *Wagenfeilius*, de Ciuitate Norimbergensi, pag. 308, seq. priuato studio, et in neutrius partis praeeudicium, recensuit; Et *Historische Nachricht von Nürnberg*, pag. 307, seq.

iure suo cedere nollet MARCHIO, et focii foederis Sueuici rationes litis amice pacateque transigendae frustra tentassent; iidem foederati A. clo Io vii, Augustae Vindelicorum congregati, ea, quae in controuersiam uocata erant, arbitrio suo sic deciderunt, ut censerent, a Norimbergensibus, saluo tamen, et in posterum legitime diiudicando ipsorum iure, stipites interim esse tollendos. Quam sententiam aduersus se latam cum aegre ferrent Norimbergenses, prouocarunt ad Imperatorem, MAXIMILIANVM I, eumque supplices adierunt, ut ea, quae foederati Sueuici pronunxiassent, suprema auctoritate sua redderet irrita. Sed Imperator etiam glorioissimus, ut tunc paci publicae consulere, grauiioresque reprimeret turbas, mox emerfuras, nihilominus uolebat, mandabatque, ut Norimbergenses, sine tamen praecudicio causae suae, alio tempore discutiendae, interim locum darent sententiae fociorum foederis Sueuici. Norimbergenses adeo, pro sua erga Imperatores Imperiumque fide et reuerentia, iuribus tamen competentibus sibi reseruatis, iussui Imperatoris obsequentiissime paruenerunt. Cum uero pars aduersa nec dum acquiesceret, et iurium praetensorum limites ulterius extendere pararet; HIERONVMVS EBNERVS, eodem adhuc anno clo Io vii, denuo ad ordines foederis Sueuici, qui tunc Ulmam conuenerant, a Senatu missus, causam hanc cum magna prudentiae laude, prosperoque tunc euentu, egit, ita, ut litigans Princeps ex communi foederatorum sententia seruandae tranquillitatis aequitatisque admoneretur. Vnde res aliquantum pacatius tractari coepit; ad quam componendam idem Ebnerus, haud secus ac Antonius Tucherus, Wilibaldus Pirckhaimerus, et Caspar Nuzelius, auctore Senatu, saepius consilium operamque pro uirili parte contulerunt. In primis uero, cum etiam ipse Augustissimus IMPERATOR se his rebus interposi-

TURUS

turus esset, idem EBNERVS, una cum CASP. NVZELIO, et LAZARO SPENGLERO, Senatus primicerio, ad hanc controversiam transigendam anno c1o 1o xii mittebatur Herbipolim. Nihil tamen et ibi in hac causa profici potuit, cum MARCHIO FRIDERICVS absentiam suam excusaret. Quamquam autem lis primaria de mero imperio in quibusdam locis anno c1o 1o xxvii ad Cameram Imperialem tunc Eslingae delata esset; interim tamen nihil ad tentandam pacatiorem transactionem praetermittebatur. Nunquam uero res propius a sedandis componendisque istis controversiis abesse uisa est, quam cum ea anno c1o 1o xxviii, Marchione GEORGIO in Vrbe tunc praesente, ageretur, et iam redigeretur in formulam, certique limites iurisdictionis partium litigantium determinari coepissent. Sed neque tunc quidem res ad exitum deduci potuit; quin ad hunc usque diem perdurat: dum eo tempore, praeter alias remoras, ipse REX ROMANORVM, FERDINANDVS, suafisset Senatui Norimbergensi, ut, causae suae bonitati confisus, eam iudicio publico permitteret.

Inter haec HIERONYMVS EBNERVS, anno c1o 1o viii, inter Consules seniores, et altero post anno, inter Reipublicae Septemuiros, receptus, patientiorem meritorum suorum amplificandorum campum inuenit. Taceo, eundem tunc quoque curae Aedis Marianae, iam anno c1o cccclv, auspiciis Gloriosissimi Romanorum Imperatoris, CAROLI IIII, extractae, praefectum, nihil praetermississe, quod ad eius res administrandas, et ad aedificium condecorandum, instaurandumque miri artificii horologium, facere potuit. Quin et, cum illustris Senatus Norimbergensis e re sua existimasset, aduersus certas *diffidationes*, siue bella priuata, quae pessimo more tunc in Germania inualuerant, consilia sua cum Episcopo Bambergensi conferre; bis ea de causa HIERONYMVS Bambergam ablegatus rem  
soler.

solertissime expediuit. Similiter, anno clo 10 xi, in causa *Georgii de Geislingen*, qui, cum aliis *diffidatoribus* coniunctus, uitam amiserat, in conuentu indicto, Senatus nomine uadimonium obiit. 13) Adhaec, quia istis temporibus administratio opidorum praediorumque in ditio- nem Reipublicae Norimbergensis descriptorum, singulis quibusdam Senatoribus committi consueuerat; HIERONY- MVS etiam EBNERVS, per biennium, usque ad annum scilicet clo 10 xiii, ubi inelytum Collegium Praefectorum rerum prouincialium institutum est, de uoluntate Senatus Norimbergensis, moderandis rebus *Veldenii, Hohensteinii, et Hausseckii*, praefuit.

Quemadmodum autem morum corruptela tunc pas- sim coetum Christianorum, et ipsas etiam eas contami- nauerat sodalitates, quae peculiaris sanctitatis praerogati- ua se efferebant: ita et Virgines monasterii *Vallis Angelorum*, quod circiter unum milliare abest ab Altorfio, eo nomi- ne grauius accusatae erant. Cum ergo Pontifex Roma- nus iussisset, ut illud ipsum monasterium lustraretur, at- que reformaretur; EBNERVS noster, cum iam antea prae- fecturam eius gessisset, auctoritate Senatus Norimbergen- sis, penes quem *aduocatia*, siue tutela, istius coenobii erat, excutiendae huic causae, et diiudicandis emendandisque earum Virginum moribus, intererat, magnaue circum- spectione et integritate in isto negotio obeundo uerfabatur.

Eidem, anno sequenti, Triumuiro, nec ita diu post, Duumuiro Reipublicae, partes, 14) quamuis has diligen-  
C cer

13) Vide die *Historische Nachricht von Nurnberg*, pag. 39.

14) D.D. *Christophorus Scheurlius*, in Epistola dedicatoria *Vitae Antonii Kressii*, inter opera *Pirkheimeriana*, pag. 350, haec inter alia ad HIERONYMVM KRESSIVM scribit: Tu enim hoc felicissimo Rei- publicae anno (1515) ad decimum nonum Calend. Ianuarias, concordibus *Pavrum suffragis Domino et cognato meo, ANTONIO TVCHER,*

ter deprecatus esset, demandabantur, ita, ut et sigilli publici secretique, et clauium *Sanctuarii reliquiarum sacrarum insigniumque* S. R. I. custodiam in se susciperet.

Supererat supremus publicorum, quos Norimberga habet, honorum gradus, nempe Duumviri primarii dignitas, ad quem anno aetatis quadragesimo sexto euectus est. Nolo hic pluribus exponere, eidem publice comissum fuisse, ut eodem anno cło Io xxiii, cum Oratore Caesareo, *Praeposito Waldkirchensi*, ageret, qui tunc ab Imperatore augustissimo ad Senatum missus fuerat. Imo, longum foret, copiosius enumerare, quanta ille sapientia constantiaque, nubilis et asperis illis temporibus, clauum reipublicae rexit, et qua assiduitate, quamuis post suscepra ista grauiora munia uacare coepisse a legationibus obeundis, omnem cogitationem, omne studium, omnemque operam, in reliquis partibus reipublicae procurandae collocarit, ita, ut, quod egregiarum magnarumque mentium est, magis omnium, quam suae consuluerit utilitati, adeoque omnes Parentis publici partes in quibusuis negotiis quam maxime arduis ex assè impleuerit.

Id

quiam multo tempore diuina benignitate principem locum et primas partes in curia tenuit, designatus es collega, et omnibus acclamantibus huius inclytæ ciuitatis adeptus es primarium magistratum, quem duumviratum dicunt; idque ex toto animo cupio et opto tibi tuisque, ac populo Norimbergensi, esse felix faustumque, sicut hucusque felix faustumque fuit. Quod autem ad me attinet, certe in omni uita paruum mihi accidit incundius; quin pro tanto munere quotidie gratias ago Deo immortalis, qui tandem sua clementia suos respicere dignatus est. — Tua autem amplitudo, in suauissimis moribus, et dulcissimis literis, uero cum Reuerendo Patre, ANTONIO KRESSIO, a puero, et in eodem contubernio, sub iisdem rectoribus, imbuta atque educata est; unde uestra amicitia, quae iustitiam, religionem, et Dei timorem, fundamentum habebat, cum aetate creuit, durauitque perpetuo. — Vale, ornamentum Populi Norimbergensis, praesidium, et refugium meum! etc.

Id unum sine piaculo sileri non potest, cum ea aetate, summo DEI beneficio, et pio diui LVTHERI ministerio, uelut e caligine refulgeret coelestis doctrinae ueritas, neminem tunc facile exiitisse, qui maiori sibi curae habere potuerit, tum religionem repurgatam in patria prouehere, tum optimarum literarum artiumque studia excitare atque ornare, quam hic ipse HIERONYMVS EBNERVS. Equidem iamdudum Norimberga aliquot bonae mentis officinis, siue scholis, fuit instructa; in quibus cum primis tenuioris fortis pueri adolescentesque ad pietatem, et doctrinam, erudirentur. At HIERONYMVS EBNERVS, una cum aliis eximii illius aevi uiris, recte sapienterque iudicaret, ad insigne reipublicae ornamentum, literarumque bonarum incrementum, interfuturum esse, si ibi etiam illustre quoddam conderetur Gymnasium, in quo iuuentus ad altiora studia maiore cura praepararetur. De quo instituto cum primis cum *Philippo Melanchthone*, qui iure suo tunc communis Germaniae praeceptor habebatur, partim ipse, partim per *Lazarum Spenglerum*, quam diligentissime consilia conferebat, et ad ornanda huiusmodi munia uiros eruditissimos, *Ioachimum Camerarium*, *Eobannum Hessum*, *Michaëlem Rotingum*, *Iohannem Schonorum*, et aliosque, honestissimis conditionibus inuitabat. Cum itaque INCLVTI SENATVS auctoritate, anno cdo Io xxvi, *Gymnasium Aegidianum* fundaretur, ipse *Melanchthon* solenni oratione dedicationem eius fecit; idemque ad Concilium Tridentinum profecturus, cum in Vrbe aliquamdiu subsisteret, ut literas publicae fidei, quam *saluum conductum* uocant, praestolaretur, xxx praelectiones in istius Gymnasii acroaetio maiore habuit. 15) C 2 Sicuti

15) De ortu fatisque Gymnasii Aegidiani plura commentati sunt, *Io. Saubertus*, *Io. Heldius*, *Io. Com. Feuerlinus*, et alii. Conferatur in primis *Memoria saecularis reuocati ex opido Altorfino in Urbem Norimbergensem Gymnasii*, A. O. R. cdo MCCCXXXIII celebrata.

Sicuti autem uir optimus religiosissimusque inter innumera magnaue beneficia, quibus a DEO immortali per omnem uitam cumulatus fuit, illud praecipuum maximumque habuit, gratoque semper animo praedicauit, quod suis diuinitus contigisset temporibus, ut, ministerio beati LVTHERI, lumen ueritatis diuinae pristino splendori felici successu restitueretur. Et si uero tunc Norimberga, ex singulari Numinis diuini prouidentia, pluribus iisque uirtutis ac sapientiae laude clarissimis exsplendesceret uiris, reique publicae moderatoribus; inter hos tamen facile effulgebat, et tunc maxime, cum anno saeculi decimi sexti tricesimo, in solennibus comitiis, auspiciis gloriosissimi Imperatoris, CAROLI V, Augustae Vindelicorum celebratis, ratio religionis emendatae, Confessioque publica, in ore et conspectu totius Imperii, et in luce orbis christiani, edenda esset, primum in Senatu Norimbergensi locum tenebat HIERONYMVS EBNERVS: qui, quamuis non ipse istis interesset comitiis; domi tamen, coniunctis animis studiisque cum reliquis Patribus conscriptis, nihil curae, nihil consilii, nihilque operae, reliquum faciebat, ut DEI auxilio, tantum tamque arduum religionis instauratae negotium recte procederet, ac tandem ad exoptatum exitum perduceretur. Vnde, cum tunc accideret, ut quidam *ordinis euangelici*, uel ex nimio pacis studio, uel ex blanda aduersariorum inductione, uel ex intempestiua sollicitudine ac timiditate Philippi Melanchthonis, in consultatione de componendo religionis dissidio, ultra decus fasque cessuri uiderentur; Senatus Norimbergensis, cum per legatos suos, tum per literas scriptas, in tempore intercessit huic nutationi, petiitque omni reuerentia a Diuo Electore Saxoniae, et ceteris harum partium Principibus, ut perstarent in tam pia iustaque causa, nec plus aequo indulgerent aduersariis, atque integra coeptae tractationis

ca.



capita cum Luthero , primo sincerioris doctrinae praecone, sed tunc absente , communicarent , eiusque requirerent sententiam, 16) Sed et, quantaecuriae sibi negotium religionis habuerit EBNERVS, testes sunt literae, quibus hanc causam crebro egit cum summis Principibus, maxime uero cum Diuo FRIDERICO, Electore Saxoniae, et cum ALBERTO, Marchione Brandenburgico, et tunc Ordinis Teutonici in Borussia Magistro supremo. 17)

Immortali ergo memoria digna sunt summa HIERONYMI EBNERI in rem sacram et literariam merita; ob quae, dum uiuere, omnibus bonis charus uenerabilisque fuit. Vnde et uiri illorum temporum doctissimi HIERONYMVM EBNERVM suspexerunt, ac sigillatim LVTHERVS, primus ille sacrorum instaurator, MELANCHTHON, bonarum literarum uindex, adhaec IO. STAVPITIVS, GE. SPALATINVS, LAZARVS SPENGLERVS, VVENCESLAVS LINCKIVS, 18)

C 3

EOBA-

16) Vide *Seckendorffium*, in commentario de Lutheranism, Libr. II. sect. 33, §. LXXV, (11) pag. 149. Conf. uenerandi Dom. *Negelini*, Antistitis ad D. Laurentii Norimb. etc. *Oratio saecularis de Norimberga ueritatis teste et custode*.

17) Vide summe Reuerendi D. D. Cypriani andern und letzten Theil zu W. E. Tenzels Historischen Bericht von Anfang und ersten Fortgang der Reformation Lutheri, pag. 300. et 311; ubi habes literas ab H. Ebnero, et Casp. Nuzelio, ad Electorem Saxoniae A. 1524, d. 23 Sept. scriptas; et Electoris responsum ad hos duos Senatores Norimbergenses mense Octobri eiusdem anni rescriptam. Adde eiusdem Theologi primarii meritissimi *Historiam der Augspurgischen Confession*, pag. 282: Schon am 21 Octobr. 1525. schrieben Herr Jeronymus Ebner, und Herr Caspar Nuzel an Chur-Sachsen, sie achteten die Religion vor das Principal. Stück aller Reichs-Handlungen, und müste demnach auf den Reichs-Tag zu Speyer A. 1526. nothwendig davon gehandelt werden. Bald darauf, am 8. Novembr. 1525, beschieden sie dem Chur-Fürsten, daß etliche Evangelische Stände der Meynung wären, mit verständigen Leuten und Predigern, auch ihren Christlichen Rathschlügen, zu solchen Reichs-Tag gefast zu kommen.

18) Pertinent huc: Der hundert und achtzehende Psalm, mit kurzer Auslegung D. Martin Luthers, ic. item, wie man ein rein Herz, oder gut Gewissen überkomme. Durch Wenceslaum Link. A. 1530, Herrn Hieronymo Ebner, Lozung-Herrn, dediciret, und A. 1530 zu Nürnberg gedruckt. item, Ausles

EOBANVS HESSIVS, 19) aliique, beneuolentiae suae obseruantiaeque erga tantum uirum testandae causa, eius nomini honorique sua quaedam opuscula inscribere, eumque certatim promeritis ornarunt laudibus, et *eruditum eruditum patronum*, 20) itemque *studiosorum omnium praesentissimum Maecenatem*, 21) appellarunt.

Tandem uero hic uir praestantissimus, si non annis, meritis tamen, grauis, anno 1610 xxxii, xxvi Augusti, 22) cum non plus uno die decubuisset, magna ui singultus op-

---

legung des hundert und neunten Psalms: *Dixit Dominus Domino meo*, Doctoris Martini Lutheri, Augustiner zu Wittenberg an Herrn Hieronymus Ebner, Hofunger zu Nürnberg; gedruckt bey Mechtior Lothern, zu Leipzig, 1518. und 1519. auch zu Augsburg, durch Jürgen Nadeln, A. 1520. Item *Libellus de executione aeternae praedestinationis Fratris Iohannis de Staupitz, Christi et Augustinianae obseruantiae serui, utinam non iutilis; cum eiusdem praefatione ad Hieronymum Ebnerum, Senatorem Norimbergensem*. Norimbergae, A. 1517. excusus; quem Libellum etiam Christophorus Scheurlius in linguam Germanicam traestulit, et Hieronymo Ebnero inscripsit. Item, Herrn Hieronymo Ebner dediciret Lazarus Epengler, Rathschreiber zu Nürnberg, A. 1514. die aus dem Euebio übersehte Historie des Lebens und Sterbens S. Hieronymi. und bittet, daß er solche als des verständig, besichtigen, corrigiren, ändern, oder in rechte Besserung bringen wolle, gedruckt zu Nürnberg, den 14 Febr. A. 1514. etc.

19) Eobanus Hessus *Theocriti Syracusani Eidylla XXXVI* Latino carmine reddidit, et, A. 1531 Basileae excusa, Hieronymo Ebnero dedicauit insigni Elegia, cuius hoc initium:

Has tibi Trinacrio ductas e rure capellas  
Mittimus, et Latia pascua uerfa manu.

Eidem quoque Hessus consecrauit uenustum Poema, quo Norimbergam descripsit, celebrauitque.

20) Vide *Christophori Scheurlii Vitam Antonii Kressii*, pag. 301.

21) Vide *Sebastianum Heyden*, loco infra, num. 25, citato.

22) In Pauli Eberi Calendario historico, pag. 299, haec legimus: *XXVI Augusti Dominus Hieronymus Ebnerus, Duumuir Reipublicae Norimbergensis, communis literatorum patronus, obiit*, A. C. 1610 xxxii, aetatis LV. Quem sequitur etiam Abrahamus Saurius, in *Calendario historico*.

oppressus, mortalitatem pie placideque expleuit. Dicitur autem non potest, quantum is sui desiderium omnibus bonis reliquerit, quamque communi luctu mortem eius deplorarint uiri eruditi. *Vitus Theodoricus*, genuinus Lutheri Melanchthonisque discipulus, et meritissimus Norimbergensium Antistes, scribebat in literis, ad *Wenceslaum Linckium*, A. clo Io xxxiii, *Dominica Oculi*, datis, 23) *Rempublicam Norimbergensem una cum hoc Ebnero concidisse uideri. Lazarus Spenglerus*, cuius et ipsa magna in rem sacram et publicam merita passim celebrantur, 24) in literis ad *Vitum Theodoricum* scriptis, gemebundus querebatur, iacturam, quam Respublica Norimbergensis in morte *Hieronymi Ebneri* fecerit, non facile refarciri posse. Ac, si legas *Epicedium* ab *Eobano Hesso* in mortem huius uiri editum, credas, te ipsas Musas acerbe querulantes lacrymantesque uidere et audire. 25) Nec reticenda sunt *Epicedia* a *Sebastiano Heidenio*,

Re-

23) In epistolis ad *Wenceslaum Linckium* datis pag. 74; quas A. 1708 edidit *Albertus Meno Verpoortennius*.

24) In uita *Lazari Spengleri*, a uiro perreuerendo, *Urbano Gottlibo Hausdorffo*, Archidiacono Zittauensi, descripta, pag. iii. haec legimus: *Spengler hat seine Liebe und Hochachtung gegen Herrn Hieronymum Ebner beweglich zu erkennen gegeben, da er ihm den 26. Aug. 1532, durch einen seel. Tod von seinem Haupte genommen ward. Wassen er über diesen Todes-Fall vom 16 Sept. 1532 an Dietrichen also schrieb: Und hat mir solche meine Krankheit nicht wenig gehäuft der tödtlich Abgang unsers frommen Christlichen Vaters, Hrn. Ebners, nit darum, daß mich sein, als eines erfahrenen Christen Absterben, mit dem wir uns viel billicher erfreuen sollen, so hoch erschreckt; sondern, daß mir der beschwerlich Fall, der unserm Vaterland durch seinen Tod zugestanden ist, den wir auch mit der Zeit allererst, wie ich sorg, noch schwerlicher erfahren werden, zu Herzen gehet; dann ich kan nicht sehen, wie wir dieses Erben tapfern Mannes Statt so geringlich wiederum ersetzen werden. Aber das sind Sachen, die mit Klagen, sorgen und trauen, nit gebessert, oder hinweg gebracht werden mögen; sondern die ohn Mittel aus Gottes Willen und Ordnung fließen. Dem müssen wir hierinn, als billich, in seine Hände sehen, und ihn bitten, daß er unsere Undankbarkeit durch dieses Mittel, so viel frommer Christlicher nuzer Personen, so er uns täglich hinweg reißt, nit straffen, sondern uns sonst väterlich wichtigen, und sein armes Häußlein erhalten, und sein Wort nie untergehen lassen wolle.*

25) *Eobanus Hessus Epicedium* in funus *Viri illustris, D. Hieronymi*

Rectore quondam Scholae Sebaldinae meritissimo, scri-  
pra, quae, quia aliquantum breuiora, huc transferre li-  
cebit :

EPICEDION IN MORTEM CLARISSIMI VIRI  
DOMINI HIERONYMI EBNERI  
PRIMATIS REIPUBLICAE VRBIS NORIMBERGAE.

*Heu Pietas, heu cana Fides, heu uiuida uirtus,  
Quam nihil ad uitam, uos coluisse, facit.  
Nam uestri secunda metens mors omnia miscet,  
Nec quicquam pensi, prosit an obsit, habet.  
Hoc iniusta tamen, quod iniqua lance malignis  
Aequior, in claros est magis saeuia uiros.  
Ante diem humanis hos praeripit usibus: illis  
Amplius ut noceant, stamina longa trahit.  
Sic Nurnberga tibi tuus est EBNERVS ademptus,  
Quem Patrem Patriae fas coluisse fuit.*

*Qui*

Ebneri, Urbis Norimbergae aetatio Praefecti supremi, scripsit; quod seor-  
sum Norimbergae apud Io. Petreum excusum, et Georgio Hoepello, Rei-  
publicae Norimb. ab epistolis, inscriptum; deinde et Helli Farraginitus car-  
minum, pag. 330, et uirosum illustrium Epicediis, pag. 173, insertum est;  
quod longius copiosiusque, quam ut ab his chartis capi potuerit. Sed  
et alia duo in eiusdem mortem Epicedia composuit *Sebastianus Heyden*,  
Rector quondam Scholae Sebaldinae, qui in Praefatione ad Musicae Στοιχείων  
quam *D. Hieronymo Baumgartnero* dedicauit, inter alia haec scripsit:  
*Vade in Domino quam felicissime; sed ita, ut tibi persuadeas, si unquam  
pro ingenuarum artium cultoribus patrocinium suscepisti, hoc tempore  
te id duplo debere, quo ex morte Clarissimi Viri, ac omnium Studio-  
rum praesentissimi Maecenatis, D. Hieronymi Ebneri, quasi per he-  
reditatem ad te deuenit, quidquid ille in hanc rem conabatur. In cuius  
uere sacram memoriam Epicedia duo hic subiungere libuit, quo minus  
etiam puerorum animus illius nomen excideret, etc.* Haec uero sunt et  
ipsa Epicedia duo, quae supra recensui.

*Qui uirtute sua, pietate, fideque, potitus  
Rerum, supremas Consul in urbe tulit.  
Quod senio saperet, quod et experientia rerum,  
Illi multarum iusque piumque daret.  
Namque suis meritis nostrae hoc fuit unicus urbi,  
Quod Cicero Romae, quod Cato uterque fuit.  
Vt Cicerone fide, grauitate Catonibus ipsis,  
Haud minor, his maior sic pietate fuit.  
Quoque adeo mirum est, in cunctis Ciuibus urbis  
Nullus, cui queat hic displicuisse, datur.  
Inter Magnates grauis, at de plebe merendo  
Mitior, aequum se lauto inopique dabat.  
Alloquio lenis, uultuque benignus, ut ipso  
Supplicibus certam polliceretur opem.  
Talis erat Ciuis, sed quod nihil esse uideretur,  
Si opponas, qualis Christicola iste fuit.  
In sermone Dei discendo plurimus illi  
Ardor, ob hoc sacris uisus adesse frequens.  
Hinc Euangelii quoties meminisset, ab imo  
Dicere sensisses omnia corde senem.  
Nec minus et factis, quam alii sermone, docebat,  
Vnum, cui recte fãitur, esse Deum.  
Atque ita Christicolam uerum pia uita probabat,  
Qui miseris nusquam ferre negaret opem.  
Vt merito patriae patrem Respublica nostra  
Interiisse sibi nunc uelut orba fìcat.  
Sed nimis haec frustra querimur, dum nulla querelis  
Sartiri nostris talia damna queant.  
Imo ut ploremus, tamen expirasse beatis  
Non damno est: Lucrum, qui bene uixit, habet.  
Id quod et EBNERO nostro gratamur, ab omni  
Parte pium et iustum, quem sua fama uehìt.  
Vnde modo in Domino per Christum coelica gaudet  
Gaudia, perpetuis perfruiturque bonis.*

EPITAPHIVM EIVSDEM D. H. EBNERI.

CIVITAS NORIMBERGA LOQUITVR,

*Heus tu, ne transi, prius huc concede, Viator,  
Vt discas, isthaec quid sibi Tumba velit.  
Ecce sub hoc saxo nostri pars magna Senatus,  
Imo pars urbis, contumulata iacet.  
Vera damus, cernes. Iacet hic Hieronymus EBNER,  
Qui certe nostri portio magna fuit.  
Sive grauem, seu prudentem, seu denique iustum,  
Velles, multorum solus hic instar erat.  
Spiritus ad dominum rediit, sed inane cadaver  
Hic manet extremae uiuida signa tubae.  
Ergo, Viator, ut haec transis Monumenta, salutem  
Sic placida EBNERO dicere uoce uelis.  
Viue Deo felix, anima; hic requiesce, cadaver!  
Mox aderit, qui nos suscitet atque beet.*

VIXIT ANN. LV. MENS. VII. DIES XXI.  
OBIIT XXVI. AVGVSTI.  
ANNI M.D. XXXII.

Hoc unum adhuc addo, uirum beatissimum ex decem liberis tunc septem sibi superstites reliquisse, et in his quatuor filios; e quibus maxime ERASMVS EBNERVS eluxit, cuius uirtutum meritumque gloria dignissima est, quae peculiari commentario exponatur. Quamuis uero beatissimi HIERONIMI EBNERI propago mascula  
mox

mox in altera generatione defecerit ; diuino tamen beneficio in agnatis cognatisque propaginibus, cum singulari ornamento commodoque Patriae, adhuc superest, felicissimeque floret. Atque adeo huic etiam scriptioni iam exoptatam nobis occasionem dedit Generosissimus Iuuenis, Dominus IOHANNES GVILIELMVS EBNER AB ESCHENBACH, Viri perillustri, Domini HIERONYMI GVILIELMI EBNERI AB ESCHENBACH, in *Artelsbosen, Guttenburg, Erlenstegen*, et reliqua, SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS *Consiliarrii actualis, et Coronae insigniumque S. R. I. Custodis, Perillustri Reipublicae Norimbergensis Triumviri, Rei sacrae ac literariae Ephori, et primarii huius Academiae Curatoris, multis magnisque meritis splendidissimi, atque omnem MAIORVM suorum gloriam complexi, amplioribusque in dies accessionibus adaugentis*, 26) Filius natu medius : qui, postquam supra tres annos in hac Musarum sede laudabilissime uersatus est, et singularis industriae rectissimique moris exempla dedit, nunc hinc discessurus, pulchrumque uitae Academicæ monumentum relicturus, crastino die, hora quidem VIII  
tem-

---

26) Quomodo B. HIERONYMI EBNERI nobilissimus sanguis etiam per feminas, hac illustri Stirpe dignissimas, in PERILLVSTREM DOMINVM EPHORVM, feliciter deriuatus sit, ex sequentibus patet. Nimirum HIERONYMVS EBNER ex *Helena Fureria* procreauerat *Erasmum Ebnerum*, qui *Annae Orteliae* matrimonio iunctus genuit *Helenam Ebneriam*. Haec, *Leonhardo Grundherro* nupta, peperit *Paulum Grundherrum*; huic, ex coniuge, *Vrsula Baumgartneria*, nata est *Vrsula Grundherria*; *Vrsulam* hanc *Grundherriam* domum duxerat *Tobias Ebner*, et ex ea susceperat *Iobannem Paulum Ebnerum*; in cuius manum conuenerat *Maria Magdalena Pöytia*, siue *Aduocata de Wendelstein*. Per hos lucem adspexit Perillustri Dominus Ephorus, HIERONYMVS GVILIELMVS EBNER; qui ex *MARIA IACOBINA*, ortu *NVZELIA*, Matrona natalibus uirtutibusque aequae perillustri, tulit Oratorem nostrum, Dom. IOHANNEM GVILIELMVM EBNERVM.

temporis antemeridiani, *de Statu inclutae Reipublicae Norimbergensis, qui sub initium imperii Gloriosissimi Romanorum Imperatoris, CAROLI IIII, fuit, differere constituit.* Cui orationi Academicae ut **MAGNIFICVS ACADEMIAE DOMINVS RECTOR, GENEROS. DOMINVS PRAEFECTVS HVIVS OPIDI, VENERANDI PATRES ACADEMIAE, ET CIVES, Generis, doctrinae, ac virtutis laudibus florentissimi,** et quotquot apud nos bonis literis fauent, lubentes interfint, ac non tantum pro perpetuo flore et felicitate tam ueustae et de re publica literariaque tam bene meritae **GENTIS,** sed etiam in uniuersum pro perenni tranquillitate et salute Patriae, pia uota nobiscum faciant, nunc perinde, ac fieri par est, his literis interpretibus, rogamus atque oramus.

---

P. P. DIE XXVIII SEPTEMBR. A. S. R. cIo Io CCXXX.

---





**HIERONYMVS EBNER,**  
*nat. 1477. d. 5 Jan. Duumvir  
 primar. Reip. Norimb. 1524.  
 duxerat Vxorem Helenam,  
 Sigismundi Faveri, et Annae  
 Tucheriae, filiam, 1501.  
 2 Aug. † 1532. d. 26 Aug.*

Albertus Ebner, *Senato-  
 r* A. 1348. *Summus ae-  
 rari Praefectus*, A. 1360.  
 † A. 1375. *in uigil. Festi  
 Mariae in autumnno.*  
 Elisabetha Ortlicbia,

{ Albertus Ebner, *Senato-  
 r*, A. 1332. † A. 1346.  
 { Kunigunda Holzschu-  
 heria.  
 { Hermannus Ortlieb.  
 { . . . Schopperia.

Jacobus Grundherr,  
 † 1392,

{ Henricus Grundherr,  
*Senator*, An. 1340.  
 † A. 1351. 2 Paschalis.  
 { Kunigunda Gloezel-  
 mannia,

Matthaeus I. Agnes Mendlin. —  
*nator Norim.*  
 † 1491. die 7

{ Henricus Mendel, *prae-  
 satus huius Familiae Sen-  
 ator Norimb.* A. 1354.  
 † A. 1368.

Matthaeo Oesterreicher.  
*Ciuitatem Norimberg.*  
*receptus* A. 1364.

{ Margaretha Grossia,  
 { . . . Oesterreicher.  
 { . . . . .  
 { . . . . .  
 { . . . . .

Stephan Schuler, in Ci-  
*uitate Norimb. receptus*  
 1387

{ Stephan Schuler.  
 { . . . . .

. . . Gredingeria.

{ . . . Gredinger.

Leopold Schurftab, *Sen-  
 ator* A. 1396. † 1439.

{ Leopold Schurftab, *Se-  
 nator* A. 1350. † 1380.  
 { N. Nuzelia.

Matthaeus Pfinzingia.

{ Bertholdus Pfinzing,  
*Senator* A. 1371. † A.  
 1405. d. 3. post Barthol.  
 { Agnes Stromeria, nu-  
 pstit A. 1366.

Margaretha  
 Agnes Deichsler.  
 A. 1472. † 1419.

{ Bertholdus Deichsler, †  
 A. 1352. sepult. Haglsbr.  
 { . . . Kettelhoferia.

*[Faint bleed-through text from the reverse side of the page]*

**HIERONYMVS EBNER,**  
*nat. 1477. d. 5 Jan. Duumvir  
 primar. Reip. Norimb. 1524.  
 duxerat uxorem Helenam,  
 Sigismundi Eueri, et Annæ  
 Tucheriae, filiam, 1501.  
 2 Aug. † 1532. d. 26 Aug.*

**Matthaeus Ebner, So-  
 nator Norimb. 1475.**  
 † 1491. die Thomas.

**Margaretha Schurfta-  
 bia, nupsit d. 22. Nov.**  
 A. 1472. † 1498.

**Matthaeus Ebner,**  
*Schemnitzii in Hungaria  
 Comes et Praefectus Vi-  
 banarum et Monetarium;  
 recipitur in ciuitatem  
 Norimb. A. 1412. fit ibi  
 Senator, 1434. Praefe-  
 ctus Xenodochii ad Spir. S.  
 1439. † 13. Aug. A. 1449.*

**Anna Oesterreicherin,**  
 † 12. Aug. 1449.

**Iohannes Schurftab,**  
*Senator An. 1459.*  
 † A. 1462.

**Margaretha Loeffel-  
 holzia, nata A. 1428.**  
 nupsit A. 1455. † 1498.

**Albertus Ebner, Sena-  
 tor A. 1384. Singulari  
 ualuit gratia apud Imper.  
 RVPERTVM, a quo  
 A. 1402. ablegatus est  
 Moguntiam ad S. R. I.  
 Ordinum conuentum. †  
 1415.  
 Kunigunda Grundher-  
 ria. † 1397. uig. Pen-  
 tecostes.**

**Sigfridus Oesterrei-  
 cher. † A. 1428. sep. ad  
 D. Cath.**

**Adelheidis Schuleria,**

**Erhard Schurftab, Se-  
 nator A. 1440. Summus  
 aearii Praefectus;**  
 † 1461.

**Agatha Deichsleria,**  
*nupsit A. 1459.*

**Iohannes Loeffelholz,**  
*natus A. 1392. Primus  
 Senator Norimb. ex hac  
 Familia A. 1440. † 1455.  
 die Erhardi.*

**Barbara Haydin,**

**Albertus Ebner, Sena-  
 tor A. 1348. Summus ae-  
 rarii Praefectus, A. 1360.  
 † A. 1375. in uigil. Fests  
 Mariae in autumno.  
 Elisabetha Ortlicbia,**

**Jacobus Grundherr,**  
 † 1392.

**Agnes Mendlin, —**

**Otto Oesterreicher.  
 in Ciuitatem Norimberg.  
 receptus A. 1364.**

**Stephan Schuler, in Ci-  
 uit. Norimb. receptus  
 A. 1387.**

**Erhard Schurftab, Se-  
 nator A. 1396. † 1439.**

**Clara Pfinzingia.**

**Bertholdus Deichsler,  
 † A. 1419.**

**Anna Zenneria,**

**Fridericus Loeffelholz,  
 † 1439.**

**Agnes Hasfurthis,**  
 † 1450.

**Martinus Hayd, Eques,  
 † A. 1463. f. secunda  
 post Iuicæ.**

**Apollonia Pfinzingia,**

**Albertus Ebner, Sena-  
 tor, A. 1332. † A. 1346.**

**Kunigunda Holzschu-  
 heria,**

**Hermannus Ortlich.  
 . . . . Schopperia,**

**Heinricus Grundherr,  
 Senator, An. 1340.  
 † A. 1351. 2 Paschalis.  
 Kunigunda Gloezel-  
 mannia,**

**Henricus Mendel, prio-  
 mus huius Familiae Sen-  
 ator Norimb. A. 1354.  
 † A. 1368.**

**Margaretha Grossia,**

**. . . . Oesterreicher.**

**Stephan Schuler,**

**. . . . Gredinger.**

**Leopold Schurftab, Se-  
 nator A. 1350. † 1380.  
 N. Nuzelia,**

**Bertholdus Pfinzing,  
 Senator A. 1371. † A.  
 1405. d. 3. post Barthol.  
 Agnes Stromeria, nu-  
 psit A. 1366.**

**Bertholdus Deichsler, †  
 A. 1352. sepult. Haylsbr.  
 . . . . Kettelhoferia.**

**Conradus Zenner, pri-  
 mus huius Familiae Sen.  
 1377. † A. 1394.  
 Kunigunda Schopperia,**

**Burcardus Loeffelholz,  
 † 1431.**

**Anna Halleria,  
 Conradus Hasfurther,  
 Pincerna Episc. Bamh.  
 . . . . Geyerin,**

**Conradus Hayd, Sena-  
 tor Nor. 1379.  
 N. Vetteria,**

**Sebaldus Pfinzing,  
 Apollonia Halleria,**



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.


Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





Nu 907. 8<sup>u</sup>

X. 228 4906

M. E.









LECTOREM BENEVOLVM  
AD  
ORATIONEM PVBLICAM  
DE  
STATV INCLVTAE REIPVBLICAE  
NORIMBERGENSIS  
SVB INITIVM REGIMINIS GLORIOSISSIMI RO-  
MANORVM IMPERATORIS  
CAROLI IIII  
AVDIENDAM  
INVITAT  
ET HAC PROLVSIONE  
VITAM B. HIERONYMI EBNERI  
DVVMVIRI QVONDAM REIPVBLICAE NORIMBERG. PRIMARIJ  
ET IMMORTALITER MERITI  
BREVITER EXPONIT  
CHRISTIANVS GOTLIB. SCHVVARZIVS  
COMES PALAT. CAES. ET PRQF. PVBL.

ALTORFII NORICORVM  
LITERIS IOHANNIS ADAMI HESSELII,  
(N. XXIII)